

IV

rum, vel sua ipsius negotia curare, ut Syr. LI. 38. εργαζεσθαι το εργον σου, quod suum est, agere, et in rebus ad religionem pertinentibus, sacra facere Num III. 7. c. VIII. 15. εργαζεσθαι τα εργα της σκηνης ministeria cultus Leviti peragere, quod idem est ac v. 11. εργαζεσθαι το εργον τα κυρια יהוה עבד עבד Luth. am Ante des Herrn dienen, mandato a Deo ministerio fungi, quod cum Levitae uniuersae gentis Israeliticae nomine et primogenitorum loco facere iussi essent v. 19. dicuntur εργαζεσθαι τα εργα των υιων Ισραηλ. Atque sic etiam in N. T. εργον Θεου et κυρια de ministerio sacro cultuque Dei et exercitio religionis dicitur 1 Cor. XV. 58. c. XVI. 10. Phil. II. 30. εργον τα Χριστου. Scire ergo hic cupiunt Iudaei et a Christo sciscitantur, quae sit eius religionis Deumque colendi ratio praecipua, cuius docendae causa se dicat esse veluti signaculis diuinis confirmatum? Eius igitur summam breuiter sic Christus complectitur v. 29. hic est verus Dei cultus, haec summa imperatae ab eo religionis: ταυτο εστι το εργον τα Θεου, *) ut eius, quem misit ille, fidei vos committatis et institutioni: ινα πισευσητε εις τον απεστειλεν εκεινος. Haec enim vis est dictionis hebr. יְמִנָה, sequi ד aut ל Dativi, quam Alexandr. vertunt πισευειν τινι, εις τινος, επι τινος et τινος, εν τινι, quae formulae saepius, etiam in N. T. libris, secum permutantur eodem plerumque sensu. Recte ex his Iudaei, pro Messia se Christum venditare, intelligunt, novaeque religionis condendae ius sibi vindicare sentiunt diuinitus acceptum, eamque ob causam, quo velit miraculo probare contendunt, quod tanta sibi data sit a Deo, antiquam mutandi religionem, potestas. Quo igitur, aiunt v. 30, prodigio, velut diuinae legationis sigillo, hoc probabis, quod vere sis ille, quem ο πατηρ εσφραγησε ο Θεος v. 27.? quale tu efficis eius rei signum? τι εν ποιεις συ σημειον; τι εργαζη; quale exhibes documentum et veritatis signaculum, quod visibile sit et sufficiens ad fidem tibi habendam? ινα ιδωμεν και πισευσωμεν σοι. Ita enim σημειον idem est interdum ac σφραγισ Rom, IV. 11. atque tale neutiquam habendum esse existimant miraculosam illam, quam breui ante quidem, at semel tantum, effecerat, populi

*) Heb. hoc dicitur ex locis supra all. יהוה עבד עבד opera cultus diuini, non quae ipse Deus operatur, quo sensu alias εργα Θεου dicuntur. Quare perperam ex hoc loco et inique cogitur, fidem esse donum Dei, quod non naturae viribus, sed eius gratiae beneficio in nobis efficiatur, cuius probandae veritatis causa in Compendiis plerumque et Systematibus excitari solet. Quae quidem in se vera est sententia, in hoc autem loco non continetur.